

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

LXXVI. An vere dictum sit: Summum jus, summa iniuria?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

capituli supplicio afficiuntur. Injustum hoc videtur, quod nulla sit proportio inter pecuniam & vitam: ideoq; nec inter delictum & pœnam hanc. Sed valet hoc jus propter rationem probabilem, quæ est, crescentibus & in infinitum grassantibus delictis, exasperandæ sunt pœnæ. Capituli pœnam jus naturale furibus non decernit, sed tantum dicit in genere: Furta sunt punienda. Jus positivum recens ad jus naturæ addit circumstantiam pœnæ probabili ratione non necessariò definitam. Quid verò, si lex constituta ex diametro pugnet cum Decalogo? Tum vim legis amplius non habet.

LXXVI.

An verè dictum sit: Summum Jus, summa injuria?

Affirmatur ~~verè~~ n.

TRITUM sermone proverbium est: Summum jus, summa injuria. Quod quomodo accipiendum, de eo punctim agemus. Ut Æquitas opponitur duobus vitiiis: Asperitati, nimiaque vehementiæ: & calumniantis: Ita Summum Jus dupliciter accipitur. Magis propriè pro stricto jure seu rigido justo, vel judicio, sine mitigatione, quam legislator admitteret propter aliquam non aspernandam circumstantiam: ut cum adolescens

Bb 4

sanabili

sanabili ingenio furtum inopia committens strangulandus judicatur. In hoc casu æquitas jubet pœnam mitigare aut omninò remittere. Lex enim præcipuè contra multiosos fures lata est. Secundo accipitur strictū & summum jus pro calumnia (quæ est cavillatio & versuta solertia) seu malitiosa juris interpretatione, unde legum contortores & detortores dicuntur. Huc pertinet istud: Ex æquo & bono, non ex collido versutoq; jure rem judicari oportet. Non enim ea data est potestas judici, ut neglectis circumstantiis in eo facto, de quo sententia ferenda est, sua calliditate exasperet aut laxet legem. De utroq; igitur non dubitò sic pronunciare: Illud jus, & quod est versutè detortum, & quod acerba severitas vehementius astringit, nomine quidem jus, sed re vera non est. Estne ergo, inquis, aliqua lex iniqua? Respondeo affirmatè, si ad justitiæ utilitatem descripta contra illam interpretatione duriore detorqueantur. Sic *à xp̄i Cod. Siquor* (id est, severitas seu rigor juris) per accidens injustum est, nempe cùm tanquam ad vivum refecatur, & observatur in eo casu de quo scriptum seu lex principaliter non loquitur. Per se verò *à xp̄i Cod. Siquor*, stränge recht / seu severa justitia est virtus opposita crudelitati, observans scriptum in eo casu, de quo lex scripta principaliter loquitur: ut lex de furti pœna, loquitur

Quæstio cū
solutione.

tur de furto petulanter facto, & ab eo cuius ætas iam judicare potest. Hic igitur justitiæ severitas est exercenda.

LXXVII.

An Justitia legalis seu Universa & Virtus differant inter se?

ARISTOTELES 5. Ethic. agens de Justitia, Justitiam universam vocat omnium virtutum conjunctionem, sicut per Injustitiam universam intelligit omne vitium. Object. Si igitur, inquis, Justitia universalis est omnis virtus, ejus tractatio fuerit supervacanea. At primum. Prorsus enim nihil differt à virtute. Ergo & secundum. Solutio, Resp. Connexum est infirmum, & assumptionis probatio falsa est. Aliquid enim, inquit Aristot. interest inter virtutem & Justitiam universam. Est eadem illa quidem, sed ejus essentia non est eadē, verum quā habet respectum ad alterum, Justitia est. Quā talis quidam habitus est, absolute virtus est, hoc est: Quatenus virtutes ad habentem referuntur, sic & subje&ti circa quod versantur, & *δεξιόν*, hoc est, subje&ti recipientis, id est, animi (cujus habitus sunt) respectu variis particularibus nominibus appellatur, ut fortitudo, temperantia. Quatenus verò communem spectant, seu societatem politicam, & ad alios quoq; pertingunt, ac ita sunt bo-

Bb 5 - num